



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 16. Dæmones artibus occultis velut miraculis fallacias struere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

rius hominis, dicit alium in admirationem sui operis, ut quodammodo miraculum videatur operari. Sciendum tamen est, quod, licet eiusmodi opera dæmonum, quæ nobis videntur miracula, ad veram miraculi rationem non pertingant: sunt tamen quandoq; res veræ; sicut magi Pharaonis, per virtutem dæmonum, veros serpentes & ranas fecerunt. Et quando ignis de celo cecidit, & familiam Iob, unâ cum gregibus pecorum, uno impetu, consumpsit; & turbo dominum deiiciens filios eius occidit, ea fuerunt opera satanae non sanè fantastica, ut docet Augustinus de ciuitate Dei.

Iob. I.

## §. XVI.

*Dæmones, artibus occultis, velut miraculis, fallacias struere.*

Possunt igitur vtique & dæmones brachium, frigido humore, contra feruentem aquam, munire, ut aqua, et si feruida, videatur vim vrendi amittere; licet reuera non in aqua, sed in vnguento sit, quod miraculi speciem potius, quam rem continet. Vidi mus circumforaneos succis quibusdam illatas manus liquato plumbō, sine noxa, lauare. Quod mirantur, qui nesciunt virtutem vnguenti; vti & albumine oui ligna, in flammis, illæsa in stuporem dant ignorantes.

His

His talibus artibus nouit vtique & dæmon  
homines dementare; non tamen, nisi malo  
fine, innocentes; pessimo autem, reos defen-  
dere. Quod Deus sapientissimo cōfilio per-  
mittit. Verè enim ac eruditè S. Augustinus,  
in illa verba: *Surgent Pseudochristi & Pseu-*  
*doprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia,*  
*ita ut in errorem inducantur ( si fieri potest )*  
*etiam electi, ita scribit. Quod autem Dominus*  
*dixit, Pseudoprophetas multa signa & prodigia*  
*facturos, ita ut fallant etiam ( si fieri potest )*  
*electos; admonet utiq<sub>3</sub>, ut intelligamus, que-*  
*dam miracula etiam sceleratos homines facere,*  
*qualia sancti facere non possunt: nec ideo tanen*  
*potioris loci apud Deum esse, arbitrandi sunt.*  
*Non enim acceptiores Deo, quam populus Isra-*  
*él, erant magi Ægyptiorum, quod non posset po-*  
*pulus ille facere, quod illi magi faciebat: quam-*  
*uis Moyses, in virtute Dei, maiora facere pa-*  
*tuerit. Sed ideo non omnibus Sanctis ista tribu-*  
*untur; ne perniciösisimo errore decipientur in-*  
*firmi, existimantes, in talibus factis maiora do-*  
*na esse, quam in operibus justitiae, quibus eterna*  
*vita comparatur. Propterea Dominus prohi-*  
*buit gaudere discipulos, cùm ait: Nolite in hoc*  
*gaudere, quoniam spiritus vobis subijci-*  
*untur; sed in hoc gaudete, quoniam no-*  
*mina*

Matth. 24

S. Augu-  
stin tract.

83. qq. q.

79.

Luc. 10

20.

220 Cap. VII. *Iudicia Dei justa,*

mina vestra scripta sunt in cælis. Cùm ergo talia faciunt magi, qualia nonnunquam Sancti faciunt; talia quidem visibiliter esse apparent, sed ex diuerso fine, & diuerso jure fiunt. Illi enim faciunt quærentes gloriam suam, hi faciunt quærentes gloriam Dei: & illi faciunt quædam potestatibus concessa in ordine suo, quasi priuata commercia, vel beneficia: isti autem publica administratione, jussu eius, cui omnis creatura subiecta est. Hæc Augustinus: quæ sufficiunt ad eam quæstionem, cur etiam non Sanctis tales subinde sucedant aquarum probationes? aut cur innocentibus nocent? est enim Alastor, qui illis fauet, istis nocet, quantum quidem ei à Deo permittitur. Nam neque impijs quidem plus nocere potest, quam ei concedatur; cùm sit Dei licitor. Lictori autem non licet præscriptum judicis excedere.

§. XVII.

*S. Gangulphi uxoris adulterium, per aqua iudicium, deprehendentis mirandum, non imitandum exemplum.*

Altera obiectio erat, ipsos etiam Sanctos tales aquarum probationes usurpauisse. Nā memorat, S. Gangulphum martyrem, famâ turpi uxoris sue percussum, ad hoc examen, animum